

vel prohibent, ne interdicti, qui Missæ intersunt, exeant postquam a celebrantibus moniti sunt; et tandem excommunicantur etiam ipsi interdicti, qui post similem monitionem non exeunt, quos omnes casus supra late exposuimus agentes de excommunicatione. Unde laicus nunquam fit irregularis immediate propter violationem interdicti, ut notavit Covarruvias, in cap. Alma, part. 1, § 1, num. 3, quia in jure non est expressum; et a fortiori patet ex supra dictis, quod clerici etiam ipsi, si ad divina concurrant non modo proprio clericorum, sed communi laicorum, non fiunt irregulares.

DISPUTATIO XXXV.

DE TERTIO EFFECTU INTERDICTI, QUI EST ECCLESIASTICÆ SEPULTURÆ, VEL INGRESSUS ECCLESIE PRIVATIO.

Tertius effectus interdicti, quem in superioribus supposuimus, est privatio Ecclesiasticæ sepulturæ, qui nunc superest declarandus; cum eo vero conjungimus alium, qui licet universalis non sit, interdum adjungi solet, et habet proportionem quamdam cum priori, quia per unum privatur vivus, ne Ecclesiam ingrediatur, per alium vero privatur defunctus, ne in eam inferatur. Utrumque ergo in hac disputatione expeditimus.

SECTIO I.

Utrum omne interdictum generale loci privet ibi Ecclesiastica sepultura.

1. Hic effectus expressus est in jure; est autem singulis interdictis applicandus cum proportione illis accommodata, et moderationibus vel exceptionibus in jure ipso declaratis, quæ in interdicto generali loci plures sunt; et ideo de illo prius in particulari dicemus, et consequenter de aliis.

2. *Prima conclusio.* — *Etiam in infantibus habet locum conclusio.* — Dico ergo primo: per interdictum generale loci prohibitum est, ne aliquis in illo loco Ecclesiasticam sepulturam accipiat, nisi sint personæ, quæ a jure vel ab homine privilegium, seu exceptionem super hoc habeant. Conclusio est expressa in cap. Quod in te, de Pœnit. et remiss., et sumitur ex cap. Cum et plantare, § Quod si, et cap. Ut privilegia, de Privilegiis, et cap. Episcoporum, eodem titulo, in 6, et Clementina 1 de Sepulturis. Ratio solum est,

quia ita statutum est ob majorem rigorem Ecclesiasticæ disciplinæ; et ut fideles magis gravati interdicto majori diligentia ejus causam tollendam procurent. Hoc autem adeo verum est, ut non solum adultis fidelibus, sed etiam infantibus baptizatis hujusmodi sepultura deneganda sit. Quia jura simpliciter, et absolute loquuntur; et hic actus æque locum habet in infantibus, ac in adultis, quia corpus, quod sepelitur, mere passive se habet, et ex parte ejus rationis actus non requiritur, et ideo quoad hanc prohibitionem æque sunt apta corpora infantium, ac adultorum. Imo hæc prohibitio ad ipsos viventes proprie refertur, eisque prohibet, ne in tali loco sepulturam alicui tradant; obligat ergo, ne infantibus etiam sepultura Ecclesiastica detur. In quo est magnum discrimen inter hanc prohibitionem, et aliam de audiendis officiis, quia illa requirit actum rationis; quod bene notavit Covarruvias, in cap. Alma, part. 2, § 4, num. 5.

3. *Quid sit sepultura Ecclesiastica.* — *E loco interdicto possunt deferri corpora, et alibi sepeliri.* — Quid autem nomine Ecclesiasticæ sepulturæ intelligendum sit, diximus supra agentes de simili effectu excommunicationis. Addimus autem in assertionem, per hanc censuram privari fideles Ecclesiastica sepultura *in tali loco*, quia simpliciter non prohibentur, quin suorum defunctorum corpora extra talem locum, ejusque confinia (juxta superius explicata disputat. 4) deferre possint, ibique Ecclesiasticæ sepulturæ illa tradere, ut explicatum satis est in aliis effectibus hujus interdicti. Ratio enim universalis est omnibus effectibus, scilicet, quia hæc censura non fertur in personas absolute, sed solum per respectum ad locum, qui interdictitur. Quod in hoc effectu, sicut in aliis intelligendum est, sistendo præcise in vi interdicti localis; nam quatenus in eos, qui culpam tali interdicto dederunt, efficaciam habet interdicti personalis, alia ratio et regula servanda est infra de interdicto personali tradenda, scilicet nullibi posse habere Ecclesiasticam sepulturam, ut clare colligitur ex cap. Si civitas, de Sent. excomm., et est communis sententia, tam ibi, quam in dicto cap. Quod in te, et apud Summistas, ac Theologos, qui hanc materiam attigerunt, dist. 18 et 22.

4. *Limitatio conclusionis.* — *Quantum se extendat clericorum privilegium circa hanc pœnam.* — Addimus præterea in conclusione

limitationem, quæ communis etiam est omnibus his effectibus interdicti, quæ fere eisdem verbis in juribus citatis et hic specialiter additur. Et in primis in cap. Quod in te, clerici ab hoc gravamine eximuntur, dummodo ipsi causam non dederint interdicto, seu (quod perinde est) personaliter interdicti non sint, vel ob aliam causam, et per aliam legem sepultura privati sint; hic enim præcise fit exceptio ab interdicto locali. Requiritur etiam ibi, ut *servaverint interdictum*, quia non merentur tali privilegio gaudere, qui Ecclesiasticam censuram violarunt, maxime cum violatores interdicti, si clerici sint, hac pœna soleant puniri, juxta cap. Is cui, de Sentent. excomm. Existimo tamen intelligendum hoc esse de violatione interdicti clericorum propria; nam et textus loquitur de clericis, quatenus clerici sunt, et in materia pœnali verba sunt stricte interpretanda, et quia aliæ pœnæ jure impositæ clericis ob violationem interdicti semper intelliguntur de violatione clericorum propria, ut supra vidimus; hæc autem est veluti quædam pœna. Quamvis ergo clericus in loco interdicto in aliquo officio sacro contra interdictum facto ministerium exhibuisset, quod per laicum fieri posset, nihilominus hoc privilegio gauderet. Quo item gaudent omnes ordinati clerici a prima tonsura usque ad supremum Ordinem; omnes enim simpliciter clerici sunt, dummodo in eis aliæ conditiones concurrant necessariæ ad gaudendum communibus privilegiis clericorum, vel secundum jus commune, in cap. unico de Clericis conjugatis, in 6, vel secundum jus Concilii Trident., sess. 23, cap. 6, quod in superiori disputatione, sect. 2, explicuimus.

5. *Clerici conjugati non gaudent hoc privilegio nisi contraria vigeat consuetudo.* — Unde etiam fit, clericos conjugatos non gaudere hoc privilegio, quia solum gaudent privilegio fori et canonis *Si quis suadente*, et notarunt Covarruvias supra, et Navarrus, cap. 27, num. 173 et 174, qui hoc limitat, nisi contrarium habeat consuetudo præscripta in clericis conjugatis cum unica virgine, unde indicat generalem regulam, nimirum, quoties sic clerici conjugati licite admittuntur ad divina tempore interdicti ad modum aliorum clericorum, licite etiam sepeliri in loco sacro; quam regulam veram censeo, quia et est eadem ratio utriusque effectus, et quia illi, quoad hoc negotium interdicti, adhuc manent et computantur in

clericorum numero. Præterea non gaudent hoc privilegio degradati seu realiter depositi, quia inter clericos non computantur; quod secus erit, si depositio sit tantum verbalis, quia hæc non tollit privilegia, ut supra vidimus.

6. *Gaudent hoc privilegio omnes personæ Ecclesiasticæ.* — Comprehenduntur vero nomine clericorum omnes personæ Ecclesiasticæ, quæ licite divinis intersunt, et suo modo illa celebrant tempore hujus interdicti, de quibus supra dictum est; et usus ipse ac consuetudo ita explicare videtur hoc privilegium. Et ratio etiam id exigit; nam, si in his, quæ spectant ad rigorosam observationem interdicti, clericorum nomine omnes hæ personæ comprehenduntur, etiam in hoc favore comprehendi debent.

7. *Limitatur prædictum quatuor conditionibus.* — *Prima conditio.* — Tandem additur ibi moderatio servanda in usu hujus privilegii. Et requirit quatuor conditiones: prima, ut sepultura detur in *cœmeterio Ecclesiæ*; unde non videtur concedi, ut intra Ecclesiam sepeliri possint; non enim sine causa fit illa loci specificatio. Nam cum omnis locus sacer esset denegatus ex vi interdicti, et solum concedatur minus nobilis, et accessorius locus, non videtur concedi principalis, sed potius tacite denegari. Unde etiam est regula Juristarum superius tacta, nomine Ecclesiæ comprehendi cœmeterium, non vero e contrario, quia accessorium sequitur principale, et non e contrario. Hæc vero interpretatio, quamvis appareat rigori verborum consentanea, nimis tamen rigorosa existit. Estque difficile creditu solum illum locum concedi clericis in sepulturam, qui minus decens videtur statui et dignitati eorum; et ideo fortasse nomine cœmeterii significatus est omnis locus aliquo modo sacer ad fidelium sepulturam destinatus; nam quia olim frequentius sepeliri solebant fideles in cœmeteriis, ideo ex frequentiori usu omnis locus Ecclesiasticæ sepulturæ sub illa voce comprehensus est. Atque hæc interpretatio sicut favorabilis est, ita communiter recepta videtur. Et fundari optime potest in Clementina 1 de Sepulturis.

8. *Secunda conditio.* — *Dubium deciditur.* — Secunda conditio est, ut fiat sine pulsatione campanarum. In qua idem servandum est, quod supra in simili adnotavimus de divinis officiis. Tertia, ut fiat cessantibus solemnitatibus omnibus. Quod intelligendum est de solemnitatibus Ecclesiasticis, quibus

divina officia peragi, et corpora mortuorum deferri solent; nam alia, quæ pertinent ad humanum honorem, non pertinent ad prohibitionem interdicti. Quarta est, ut cum silentio tumulentur. Circa quam dubitari potest, an prohibeatur non solum cantus, sed etiam Psalmorum, aut officii mortuorum recitatio. In quo distinguendum censeo vel ex vi illius juris, vel ex vi capituli Alma. Item de recitatione officii intra Ecclesiam, vel per viam cum defertur corpus defuncti, aut cum in cœmeterio tumulatur. Ex vi ergo illius juris videtur quidem prohiberi non solum cantus, sed etiam omnis publica recitatio Ecclesiastici officii submissa voce facta, qualis nunc permittitur ex cap. Alma; hoc enim in rigore significat verbum illud, *Sub silentio*; quando enim jura volunt concedere celebrationem Ecclesiastici officii, non utuntur verbis similibus, sed expresse concedunt, ut possint divina officia dici voce submissa; hic autem omnino silentium postulatur.

9. *Pro clerico sepeliendo quævis officia intra Ecclesiam fieri possunt. — Pro laicis mortuis Missæ dici possunt tempore interdicti.* — Quapropter ex vi hujus concessionis non posset dici Missa, nec responsoria cum vestibus sacris, et solemni aspersione aquæ benedictæ, etc. Tamen supposita concessionem cap. Alma, licite possunt intra Ecclesiam dici Missæ, et quælibet alia officia sacra pro defuncto clerico sepeliendo, cum circumstantiis ibi requisitis; quia ex vi illius juris possunt quælibet officia divina celebrari illo modo in Ecclesia generatim interdicta; ergo et Missæ, et officium defunctorum; ergo, conjungendo simul hæc duo jura, poterit clericus sepeliri cum hujusmodi officio. Et eadem ratione in illis festivitibus, in quibus ibidem conceditur cum tota solemnitate divina officia celebrare, licebit etiam cum eadem officium mortuorum dicere in sepultura clerici, quia, licet ex vi cap. Alma, sepultura non liceat, ut statim dicemus, tamen supposita concessionem sepulturæ, alio jure facta, licitum est adjungere officium, vel solemnitatem in alio jure per se concessam; unde quoad partem derogatum est illud jus antiquum per hoc novum. Sicut etiam censeo, licet nunc non liceat sepelire laicos in loco sacro tempore interdicti, licere tamen pro eis Missas, et officia divina facere cum moderatione cap. Alma, quia illa concessio generalis est de omnibus divinis officiis, et pro quacumque causa justa, vel persona non excommunicata.

10. *Nec per viam in deferendo corpore, nec in cœmeterio possunt recitari officia vel Psalmi.* — Hinc vero colligo, non licere hoc divinum officium, vel Psalmos alternis choris Ecclesiastico more dicere per vias deferendo corpus defuncti; neque etiam in cœmeterio, dum sepelitur, sepulturam benedici, etc., si cœmeterium sit apertum et publicum, ita ut januis claudi non possit. Ratio est, quia ex vi dicti cap. Quod in te, hoc est prohibitum, et per cap. Alma, non est concessum, quia non possunt servari conditiones requisitæ ad divina officia faciendâ, præcipue illa, quod fiant januis clausis. Item, quia est contra finem, ob quem illæ conditiones requiruntur, scilicet, ut officia illa a personis prohibitis non audiantur; illæ enim nullo modo vitari poterunt, moraliter loquendo, si per vias, vel in cœmeterio publico talia officia dicantur. Intelligendum autem hoc est de Ecclesiasticis officiis, quæ a clericis publico ritu dici solent, ut supra declaravimus; nam preces privatæ, quæ a laicis dici possunt, recitari tunc poterunt, quia non sunt prohibita tempore interdicti. Si tamen intra Ecclesiam corpus sepelitur, juxta opinionem probabilem supra positam, tunc licebit quælibet officia divina facere cum moderatione cap. Alma, dum corpus traditur Ecclesiasticæ sepulturæ. Atque tota hæc doctrina consentanea est his, quæ tradunt D. Anton., in tract. de Interdict., et Sylvest., verb. *Interdictum*, 5, quæst. 8, et alii.

An privilegium per verba generalia concessum comprehendat hunc effectum Ecclesiasticæ sepulturæ.

11. *Pars affirmans.* — Ultimo addimus dictam limitationem propter alia privilegia specialia, quæ super hoc concedi possunt, et solent. De quo, quia ad factum spectat, solum possumus admonere, ut unusquisque consulat sua privilegia, et verba illorum, atque id servet, ut intelligat, quid sibi concessum sit. Inquiri autem posset, quis valeat hujusmodi privilegium concedere, et specialiter de Episcopo; nam de Summo Pontifice nullum est dubium; sed de hoc dicemus commodius infra agentes de suspensione interdicti. Circa verba autem ipsorum privilegiorum dubitari solet, an si per generalia verba concedatur alicui, ut possit interesse divinis officiis, censeatur concessa Ecclesiastica sepultura; et similis quæstio est, an ex vi

cap. Alma, liceat in dictis festivitibus ibi privilegiatis corpora laicorum sepelire publico, et solemni ritu. Videtur enim in utroque dubio affirmandum esse; quia sepultura Ecclesiastica est unum ex divinis officiis; ergo comprehenditur sub generali concessionem, maxime cum favores ampliandi sint. Atque hanc sententiam in utroque casu proposito tenuit Angelus, verb. *Interdictum*, num. 35 et 36, secutus Calderinum; idem Sylvester, verb. *Interdictum*, 5, quæst. 2 et 8. Et fundatur primo, quia sepultura Ecclesiastica præcipue prohibetur ratione divini officii; et ideo postquam divinum officium permissum est, etiam sepultura Ecclesiastica ceasetur permissa. Secundo, quia cui communicamus vivo, possumus etiam communicare defuncto, argumento cap. A nobis, 2, de Sententia excomm.; ergo cum vivens admittitur ad divina officia, ei consequenter conceditur, ut post mortem habeat Ecclesiasticam sepulturam.

12. *Occurritur objectioni.* — Quod si objecias, sequi ex hac sententia, licere nunc sepelire tempore interdicti fideles quibuscumque diebus, cum moderatione cap. Alma, quia si divina officia cum illa permittuntur, etiam permittetur Ecclesiastica sepultura, juxta primum fundamentum hic positum. Respondentur negando consequentiam, quia licet divina officia clericis permittantur, tamen ex vi cap. Alma, non permittitur laicis eis interesse; et ideo nec post mortem eis conceditur Ecclesiastica sepultura, quia quibus non communicamus vivis, nec communicamus defunctis. At vero si privilegium habeant audiendi divina, jam cum eis communicatur vivis; et ideo quocumque die poterunt in loco sacro sepeliri, servatis conditionibus cap. Alma mater. Hæc sententia, ut Covarruvias dixit, est benigna; in rigore tamen juris non videtur vera.

13. *Sententia negans præfertur.* — *Nomine officii divini non comprehenditur sepultura Ecclesiastica.* — Dicendum ergo censeo, relaxationem, vel suspensionem interdicti, vel privilegium, si sit præcise ad audienda divina, ex vi verborum non extendi ad Ecclesiasticam sepulturam. Hæc est communior sententia Juristarum cum Glossa, in Clementina 1 de Sepulturis, in princip.; et Covarruvias, in cap. Alma, part. 2, § 5, num. 6, eam sequi videtur, licet non omnino constanter; eandem tenet Maiolus, lib. 3 de Irregularitate, cap. 23, num. 8. Ratio præci-

pua est, quia hi tres effectus privationis sacramentorum, divinatorum officiorum, et sepulturæ Ecclesiasticæ, distincte numerantur in jure, cap. Si civitas, de Sentent. excomm., et cap. Episcoporum, de Privilegiis, eodem libro. Unde constat esse distinctos, et in rigore verborum unum sub alio non comprehendi; ergo nullum est fundamentum, ut privilegium, vel legem quantumvis favorabilem ab uno ad alium extendamus, quia ampla beneficii interpretatio contineri semper debet sub verborum proprietate. Præterea falsum est, sepulturam sacram ut sic contineri sub divino officio, aut solum propter divinum officium prohiberi; ergo licet quis admittatur ad divina officia, non propterea ei conceditur Ecclesiastica sepultura. Consequentia est clara, quia si illa sunt diversa, et unumquodque per se prohibetur, et non unum dependet ab alio, restitutio unius, nec formaliter, nec virtute est restitutio alterius; sicut in superioribus dicebamus, concessio usu sacramentorum, non concedi divina officia, neque e converso, nisi ubi est aliqua connexio. Antecedens vero patet quoad priorem partem, quia sepultura sacra nihil aliud est, quam participatio loci sacri post mortem; officium autem divinum consistit in aliqua publica oratione, vel sacrificio, vel cæremoniis ejus. Et patet etiam e contrario, quia si quis esset prohibitus a divinis officiis, et in jure non esset expressum, non esset ideo privatus Ecclesiastica sepultura; sicut nunc qui est interdictus a divinis officiis, non est interdictus ab ingressu Ecclesiæ, quia hæc sunt diversa, et non necessario connexa; ergo et e contrario, qui ad unum restituitur, non propterea restituitur ad aliud. Denique utrumque videtur in jure expressum; nam in cap. Quod in te, de Pœnit. et remiss., admittuntur clerici ad Ecclesiasticam sepulturam, sine divino tamen officio ex vi illius textus, ut supra declaravi; et ita constat, Ecclesiasticam sepulturam per se concedi absque divino officio. E contrario vero in cap. Cum et plantare, § Quod si, de Privilegiis, permittuntur divina officia in Ecclesia interdicta per quoddam privilegium; negatur tamen nihilominus Ecclesiastica sepultura. Et ita etiam constat, sepulturam non tantum propter divinum officium, sed per se negari; imo etiam constat, sub concessionem divinatorum officiorum non comprehendi Ecclesiasticam sepulturam; falsum ergo est solum propter officia prohiberi.

14. *Occurritur objectioni.* — Dices: prohibito alicui ingressu Ecclesiae, prohibentur divina officia in Ecclesia, cap. Is cui, de Sent. excomm., in 6; ergo et e contrario, si alicui concedantur divina officia in Ecclesia, conceditur etiam ingressus in Ecclesiam; ergo si alicui conceditur participatio divinorum officiorum in Ecclesia, etiam post mortem eidem conceditur ingressus in Ecclesiam et permanere in illa, etiam post mortem, quod fit per sepulturam sacram. Respondetur, committi æquivocationem in illatione; nam in primis aliud est loqui de præsentiā, aliud de participatione divinorum officiorum; participant enim etiam absentes de fructu sacrificii, vel divini officii, si pro eis offeratur, seu dicatur. Unde non solum quicumque laici non privilegiati, sed etiam interdicti, si excommunicati non sint, possunt esse participes sacrificiorum, et divinorum officiorum, licet eis interesse non possint. Non ergo recte fit illatio a participatione ad præsentiā; et ideo non est simile, quod affertur; nam cui conceditur celebratio vel assistentia divini officii in Ecclesia etiam conceditur ingressus, quia necessario præsupponitur; quando vero conceditur absoluta celebratio divinorum officiorum in tali loco, vel pro tali defuncto, non propterea conceditur illi sepultura in tali loco, quia hæc non necessario præsupponitur, ut per se notum est. Unde sæpe aliquis habet jus, ut pro ipso dicatur officium post mortem in aliquo loco, non tamen ut ibi sepeliatur.

15. *Ad dicendum officium, vel Missam pro quovis non requiritur privilegium.* — *Coram cadavere privilegiati possunt sacra celebrari.* — Ex quo etiam certum esse censeo, ad dicendum nunc officium, vel sacrificium offerendum pro quocumque defuncto non excommunicato nullum privilegium esse necessarium, cum tamen ad admittendum illum ad sepulturam necessarium sit. Ratio est, quia illa oblatio, vel participatio non est prohibita ex vi interdicti. Adde vero non esse improbabile, quod ex vi privilegii audiendi divina officia, possit corpus alicujus post mortem ad Ecclesiam deferri, ut in ejus præsentiā exequiæ, et divina officia dicantur, dummodo illis finitis extra locum sacrum sepeliatur. Et in dicendis officiis servetur moderatio cap. Alma, extra illas festivitates privilegiatas; nam in illis poterunt talia officia publice, et de more fieri. Imo in illis diebus absque alio privilegio poterit hoc fieri cum quolibet de-

functo non excommunicato, quia si esset vivus, posset admitti ad divina officia, et post mortem ex vi illius præsentiæ ad hoc tantum quodammodo admittitur, et non ad Ecclesiasticam sepulturam.

16. *An possint coram non privilegiati cadavere.* — Quin etiam dici potest, semper posse fieri non obstante interdicto, cum quocumque fidei non excommunicato, absque alio privilegio, servata ex parte divinorum officiorum moderatione cap. Alma, quia corporalis præsentiā cadaveris ad divina officia nullibi prohibita est ex vi interdicti, sed sola Ecclesiastica sepultura, quæ est res diversa, et separabilis ab altera. Sub prohibitione autem, per quam laici excluduntur a divinis, non videtur contineri, quod defunctorum corpora non possint in Ecclesiam deferri, ut illis præsentiibus officia dicantur, quia ut supra dicebamus de infantibus, ibi solum prohibetur præsentiā humana, quæ includat actum rationabilem, qui per verbum audiendi divina indicatur, cujus capax non est corpus defuncti. Est ergo hoc probabile, mihi tamen dubium, tum propter usum, tum etiam quia saltem per quamdam analogiam illa censetur quædam præsentiā humana eo modo quo ille censetur idem homo; et ad moralem estimationem, quæ in his rebus maxime consideratur, multum valet hæc analogia, et communis apprehensio; tamen supposito privilegio, videtur tolli omne dubium.

17. *Explicatur axioma: Cui communicamus vivo, etiam possumus communicare defuncto.* — Atque hinc constat, quam vim possit habere in præsenti illud axioma: *Cui communicamus vivo, etiam possumus communicare defuncto;* et in quo sensu male applicetur. Ad concludendum ergo id, quod alia opinio intendit de sepultura Ecclesiastica, non recte applicatur, quia debet intelligi respectu earumdem rerum, et supposita capacitate; nam a diversis non fit illatio; hæc autem tria distincta, et diversa prohibentur; et ideo licet in uno, id est in officiis divinis communicamus vivo, non sequitur in alio, id est, in sepultura communicare defuncto; sicut nec sequitur, cum eodem vivo si communicamus in officiis, communicare in sacramentis, nisi utrumque concedatur; item alicujus communicationis est capax homo vivus, cujus non est capax defunctus, et e converso. In auditione enim officiorum non communicat defunctus, nec in sepultura communicat vivus, nisi quatenus jus, vel facultas illius homini,

dum vivit, conceditur, ut illa post mortem utatur; et hoc privilegium fuisset in præsenti necessarium. Solum ergo potest inferri ex illo principio, eum, qui dum vivit, habet privilegium sepulturæ, posse illo post mortem gaudere, vel etiam admitti potest juxta dicta, eum, qui habuit privilegium assistendi divinis officiis, etiam post mortem posse suo modo eis interesse, dummodo sepulturæ Ecclesiasticæ non tradatur, quamvis hoc fortasse non sit in usu, quia non multum curant homines de illa funerali præsentiā, si corpus non est dandum Ecclesiasticæ sepulturæ. Et per hæc satis responsum est ad fundamenta contrariæ sententiæ.

18. *Advertendum.* — Solum superest advertendum, hæc omnia procedere, quando privilegium loquitur in particulari de divinis officiis, seu auditione illorum; nam si generalius concedat tali personæ ut admittatur ad divina, illa sane videtur generalior suspensio interdicti quoad omnes effectus ejus, respectu talis personæ. Cujus argumentum sumo ex c. Si sententia, de Sententia excommunicationis, ibi: *Uno interdicto ipsorum alius licite admittitur ad divina*, id est, alius interdictus non est; per illa ergo verba significatur exclusio, vel suspensio (juxta subjectam materiam) omnium effectuum interdicti.

De pœna, et culpa violentium interdictum quoad sepulturam Ecclesiasticam.

19. *De pœna.* — Ultimo (ne specialem questionem de hoc facere oporteat) addendum est, gravem pœnam esse in jure ipso impositam his, qui interdictum violant quoad hunc effectum, quod est sufficiens indicium illam esse gravem culpam. Prior pars constat ex Clementina 4 de Sepulturis, ubi excommunicatio ipso jure fertur in eos, qui in loco interdicto aliquem sepeliunt. Quam censuram attigi supra disputatione 23, sectione 3, et latius disputatione 42, sectione 4, ubi eandem pœnam declaravimus, prout incurritur sepeliendo excommunicatum in loco sacro; nam eadem est ratio de utroque casu; neque hic aliquid addendum occurrit, cum eisdem omnino verbis censura illa in utroque casu feratur.

20. *De culpa.* — Præter hanc pœnam non invenio aliam ipso jure latam propter hanc transgressionem; nam si clerici propriam operam in tali funere exhibeant, proprium munus alicujus Ordinis exercendo, irregulares

fient, non tamen propter sepulturam, sed propter executionem Ordinis contra interdictum, quæ est alia specialis culpa; propter sepulturam ergo non est alia pœna ipso jure lata; illa vero sufficit ad indicandam culpam mortalem in hac transgressionem (quæ erat altera pars proposita), quia excommunicatio major non imponitur propter leviolem culpam. Est autem hæc culpa adeo gravis, non propter excommunicationem, sed potius quia ipsa tam gravis est, ideo est digna excommunicatione; est ergo gravis culpa, quia est in materia gravi, et contra absolutam Ecclesiæ prohibitionem; crescit tamen ex majori contumacia, quando additur excommunicatio.

21. *Mortuus sepultus non incurrit hanc pœnam. Et ideo non est exhumandus.* — Denique advertendum est, hanc pœnam solum referri ad vivos, quia in eis tantum est culpa; mortuus enim, qui sepelitur, per se non est particeps ejus; et ideo non est dignus participatione pœnæ. Ex quo infero, si de facto in loco sacro fideles sepeliantur, sive bona, sive mala fide sepelientium, non esse exhumandos, sed ibi relinquendos, quod docuit Angelus, *Interdictum*, 6, num. 33, et alii. Potest autem dupliciter intelligi: primo, si auferatur interdictum, non esse exhumandos; et hoc per se notum est, quia jam tunc sublatum est impedimentum, ut dixit Glossa cum Innocentio, in cap. Si civitas, de Sentent. excomm., in 6, verb. *Sepeliri*. Nam tunc etiamsi qui fideles propter interdictum sepulti essent extra locum sacrum, ad illum essent transferendi, ut etiam dixit Glossa cum Innocentio, et Hostiensi, in dicta Clementina 4, verbo *Eis*, de Sepulturis. Alio modo potest intelligi, quod etiam durante interdicto exhumandi non sunt; et in hoc etiam sensu credo id esse verum. Tum quia Ecclesia solum prohibet actum sepeliendi, non vero effectum, seu terminum ejus, postquam jam est factus; non enim prohibet fidelium corpora semel sepulta in loco sacro, in eo manere, licet interdictus sit, dummodo personæ ipsæ non fuerint speciali censura affectæ; de quo infra videbimus. Unde licet factum illud sepeliendi male factum fuerit, factum tamen tenet; neque est ulla lex, quæ obliget ad irritandum illud, ut sic dicam, corpus sepultum exhumando; unde cum materia sit odiosa, benignius accipienda est.

22. *Respondetur objectioni.* — Sed contra, quia eadem ratione personæ prohibite semel ingressæ, et admissæ ad audienda divina